IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 136v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



viro iusto

Vox dei Quoniam in me speravit vir iustus scilicet liberabo eum ab omnibus angustiis protegam eum quoniam novit veram fidem filii mei et me ipsius patrem credidit et intellexit

Clamavit ad me orando devote et ego exaudiam eum adimplendo petitionem suam cum ipso sum in tribulatione semper adiuvans et de eadem tribulatione eripiam eum quod amplius nulla tribulatio circumdabit eum quod in fine complendum est et glorificabo eum in celo

Et rectum Longitudine dierum i. eternitate vite replebo eum et in ipsa eternitate ostendam illi per apertam visionem meipsum in quo salus omnium consistit

Ps. 91 In quo monet in hac vita laborare ut tandem exultemus in eterna beatitudine

Bonum est utile scilicet et necessarium laudare deum et te bonis operibus laudare non ad gloriam hominis sed nominis tui o altissime

Laus nostra debet ordinari Ad annunciandum tempore prosperitatis misericordiam tuam quia quidquid prosperi habemus provenit ex misericordia et gratia dei et iusticiam tempore adversitatis quia quidquid asperum et adversum nobis contingit iusto dei iudicio contingit propter peccata nostra reddere debemus

Sequentibus instrumentis hanc divinam laudem perficere debemus In decacordo psalterio ut cum assiduitate divine laudis impleamus decalogum legis et adiungamus opera pietatis que designantur per citharam et non hoc cum tristicia sed cum cantico et hilari corde et sereno

Bonum est dico te laudare Quia o domine delectasti me in eo quod in me factura tua tu facis tu enim fecisti